



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

IX. Ne chori & cantica puellarum, nec conuiua in ecclesia permittantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

PELAGIVS AVTISIODORENSE. IVSTINVS IVN. IMPERATOR.
P. II. CHILPERICVS REX FRANC. 43
ANNO CHRISTI
578. aut pauperibus reddat : nec sculptilia aut pede , aut
homine lineo fieri penitus præsumat.

IV.

Non licet ad sortilegos , vel ad auguria respice-
re , *non ad caragios , nec ad fortis , quas Sanctorum
vocant , vel quas de ligno , aut de pane faciunt ,
aspicere : sed quæcumque homo facere vult , om-
nia in nomine Domini faciat .

V.

Omnino & inter supradictas conditiones , per-
uigilias , quas in honore domni Martini obser-
uant , omnimodis prohibete .

VI.

Vt a media quadragesima presbyteri chrisma pe-
tant : & si quis infirmitate detentus venire non po-
tuerit , ad archidiaconum suum , vel archisubdia-
conum transmittat , sed cum chrismario & linteo ,
sicut reliquiæ sanctorum deportari solent .

VII.

Vt medio Maio omnes presbyteri ad Synodum
in ciuitatem veniant , & Kalendis Nouembris om-
nes abbates ad Concilium conueniant .

VIII.

Non licet in altario in sacrificio diuino melli-
tum , quod mulsum appellant , nec ullum aliud po-
culum , extra vinum cum aqua mixtum , offerre :
quia ad grande reatum & peccatum pertinet pre-
sbytero illi , quicumque aliud poculum , extra vi-
num , in consecrationem sanguinis Christi offerre
præsumperit .

IX.

Non licet in ecclesia choros sacerdotalium , vel puel-

Concil. Tom. 13.

F ij

larum cantica exercere , nec conuiua in ecclesia
Math. 21. præparare , quia scriptum est : *Domus mea , domus*
orationis vocabitur.

ANNO
CHRISTI
578.

X.

Non licet super vno altario in vna die duas Missas dicere : nec in altario vbi episcopus Missas dixerit , vt presbyter in illa die Missas dicat.

XI.

Non licet in vigilia Paschæ ante horam secundam noctis vigilias perexplere , quia in illa nocte non licet post medium noctem bibere , nec in natali Domini , nec in reliquis solennitatibus.

XII.

Non licet mortuis , nec eucharistiam , nec osculum tradi , nec velo vel pallis corpora eorum inuolui.

XIII.

Non licet diacono , velo vel palla scapulas suas inuolui.

XIV.

Non licet in baptisterio corpora sepeliri.

XV.

Non licet mortuum super mortuum mitti.

XVI.

Non licet die dominico boues iungere , vel alia opera exercere , nisi pro causis constitutis.

XVII.

Quicumque se propria voluntate in aquam iactauerit , aut collum ligauerit , aut de arbore præcipitauerit , aut ferro percusserit , aut qualibet occasione voluntariæ se morti tradiderit , istorum oblationis non recipiatur.

Capitular.
l. 7. c. 334.
Iuo part.
10. c. 6.